Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 971
Quelle:
Copyright:

non questiones poscere solebatis &c. ut T. *supracit. col.* 583. in cujus *Tomi* Elencho praevio per errorem tamen inscriptus est *ad Willelmum abbatem.* Nobis distinguitur quidem in quasdam Rubricas, sed quae cum Capitibus Editionis non conveniunt. Ceterum et hic integra et castigata omnia.

III. *fol.* 54. p. 2. a prima manu sine titulo, sed a recentiore *Incipit prefatio beati Bernhardi abbatis super missus est.* Ita: *Scribere me aliquid & deuotio iubet* &c. ut Edit. *cit.* T. III. *col.* 732. etiam subjuncta IV. *Homiliis* Autoris *Excusatione*, ut ibi *col.* 755.

IV. *fol.* 75. praemissa Epistola *ad Guillelmum abbatem S. Theoderici*, qui tacetur, *Explicit Epistola. Incipit Liber de gratia et libero arbitrio.* Videlicet: *Loquente me coram aliquando* &c. ut T. II. *col.* 603. Textus plurimis Rubricis interstinctus est, nihilque deficit.

V. *fol.* 92. p. 2. praemissa *Retractatione*, quam *Bernhardus* primo huic suo *de Gradibus Humilitatis* foetui subjunxit, interjectus est a Librario inter hanc et ipsum Tractatum Elenchus quidam retrogradus a XII. ad IV. varios Humilitatis Actus enumerans, puta: *Corde et corpore semper humilitatem ostendere defixis in terram aspectibus* &c. qui certe huc non pertinet. Dein Tractatus nobis nulla ratione divisi initium: *Rogasti me frater. b. quatinus ea* &c. ut T. II. *col.* 559. Edita habent *Godefride*, et, ut opinor, C. 1. non bene legunt: *Ego sum via, id est, viaticum, quo sustenteris in via;* censeo enim legendum cum Codice: *Ego sum vita* &c.

VI. *fol.* 111. p. 2. *Epistola domni Bernardi abbatis Clareuallensis ad H.* (enricum) *senonen. archiepiscopum.* Mauriani T. *cit. col.* 461. inscribunt *de Moribus et Officio Episcoporum* et in Capita dividunt. Initium est: *Placuit prestantie uestre nouum aliquid* &c. Etiam hic c. 1. malo legere cum Codice: *Si ego latens in cauerna* &c. quam cum Editis: *Si ergo* &c.

VII. *fol.* 126. *Incipit Epistola domni Bernh. abbatis.* Ita: *Venerabili abbatisse fontis ebraldi M.* (athildi) *sunt* (l. Frater) *P.* (etrus) *cellensis abbas suus in christo amicus gratiam gloriam sponsi eterni. Inspector conscientiarum deus* &c. Vide, quam verum: *Nimium ne fide colori* rubro! Nihil ad *Bernhardum* haec Epistola. In *Bibl. PP. Lugd.* T. XXIII. p. 841. est L. II. *Epistola* 10. *Petri* ex Abbate *Cellensi ad Trecas* O. S. B. a. 1181. Episcopi *Carnot.* et a. 1187. defuncti, et hic bene descripta, atque jam semel relata.

VIII. *fol.* 128. *Incipiunt sermones domni Odonis abbatis morimundensis.* Sermones *Odonis Morimund.* a Discipulis lectos retuli *Vol.* I. P. 3. *col.* 2730. et paene incusavi *Vischium* in *Bibl. Cist.* p. 254. *Odonem* et *Morimundum* in *Longobardiam* transferentem. Duplex est *Morimundus Cisterciensis*, mater et filia. Mater in Dioecesi *Lingon. Galliae* fundata a. 1115. de qua *Gallia Christ.* T. IV. *col.* 814. Filia inde traducta in Dioecesin